



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Si Ecclesia violata fuerit, iterum consecretur. xii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Si Ecclesia violata fuerit, iterum consecretur.

Caput XII.

SI homicidio vel adulterio Ecclesia fuerit violata, diligētissimè expurgetur, & denuò consecretur.

Ex eodē, cap. 6.

Ut Ecclesiam vbi paganus sepultus est, non liceat dedicari.

Cap. XIII.

Ecclesiam vbi paganus sepultus est, non liceat consecrare, neque Missas in ea celebrare, sed iactari foras & mundari oportet.

Ex cōcil. Aureliano, ca. 7.

Ut in Ecclesia in qua cadauera sepulta sunt, altare consecrare non liceat.

Cap. XIII.

IN Ecclesia in qua cadauera mortuorum sepeliuntur, sanctificare altare non liceat. Si autem consecratum prius fuit, Missas licet celebrare in ea.

Ex eodē cap. 6.

Ut loca semel dedicata, perpetuò sic permaneant.

Caput XV.

VT loca que semel Deo dedicata sunt, aut monasteria fuerint, maneat perpetuò sic, nec possunt ultra fieri secularia habitacula.

Ex cōcil. apud Aquisgran. cap. 4.

De locis dudum sacratis, & nunc neglectis, ut iterum reformentur.

Cap. XVI.

Placuit ut loca iam dudum consecrata, & nunc spurcitiis foedata, iuxta possibilitatem in antiquum statum reformentur.

Ex eodē cap. 6.

Ut nullus aliud altare erigere presumat, nisi quod ab episcopo consecratum est.

Cap. XVII.

VT nullus presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab episcopo loci vel eius permisso sanctificatum est: ut sit discretio inter sacratum & non sacratum, nec dedicationem fingat, nisi sit. Quod si fecerit, si clericus est, degradetur, si laicus, anathematizetur.

Ex decret. Hormisd. da pap. cap. 10.

Ut energumeni Ecclesiarum pavimenta verrant.

Caput XVIII.

Pavimenta domorum Dei energumeni verrant.

Ex cōcil. Carth.

De monasteriis semel consecratis.

Cap. XIX.

cap. 91.

Quæ semel dedicata sunt sunt monasteria consilio episcoporum qui ciuitates tenent, manere perpetuò monasteria, & res quæ ad ea pertinent, monasteriis reseruari debere, nec posse ea ultra fieri secularia habitacula.

Ex cōcil. Calcedo. cap. 24.